

DIVINA AFFULGENTE
GRATIA,

Et

*Approbante Amplissimo Collegio
Philosophico,*

In

Regia Academia Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

Viri Amplissimi atque Celeberrimi,

Dn. HENRICI HASSEL,

Eloquentiæ Profess. Reg. & Ord.

OBSIDUM

PHILOSOPHICAM CONSIDE-

RATIONEM,

Pro Gradu,

*ad publicum bonorum examen modeste
defert*

S. R. M. ALUMNUS,

ABRAHAMUS KROK;

Smolandus,

In Aud. Max. die XIII. Cal. Jul. Anno

MDCCLXXXVI.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typo

S:tæ R:tæ M:tis

Summæ Fidei VIRO,

Reverendissima Patri ac DOMINO,

**GUSTAVO ADOL-
PHO HUMBRE,**

S: S:tæ Theol. DOCTORI celebratis-
simo, inclytæ Dioecesis Wex. EPI-
SCOPO Eminentissimo, Senatus Ec-
clesiastici ibidem PRÆSIDI Amplissi-
mo, Gymnasiorum Scholarumque,
per Diœcesin. EPHORO Gravissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

CAussæ *mæe* Finales, Reverendissi-
me Domine Episcopo, Amplissi-
mum *tuum* *conspectum* subire non su-
sinnerunt, *antequam* *comitem* *aliquem*
habe-

haberent, simplicitatis suae non immemores. Obsides hujus itineris societatem quidem cupiunt: At idem infortunium, quod socios eorum circumvenit, horum etiam progressum retardare conatur. Verum enim vero, ruditatem forsitan excusabit emittentis pietas, quae sola Tuæ Eminentissimæ Dignitati innotescere gestit. Spem desiderati aditus mihi facit insignis illa Tui Favoris aura, quae non pauci clientium subiecti portum exoptatum jamdudum feliciter intrarunt. Permite igitur, Mæcenas Maxime, ut tantum particula quaedam lucis illius, quae Gratia Tuæ corruscat, innocuos hosce conatus illuminet. Hujus voti si compos fuero, praesentes pagella satis ornamentis, satisque splendoris habebunt, & ipse me felicem predicabo. Animum, pro perenni incolumitate Tua, Reverendissime Domine Episcopo, assidue faciendis votis prolixissimum gero,

Reverendissimi Nominis Tui

Cultor devotissimus
Abrahamus Krok.

Admod. Reverendo atque Praclariss. Viro,
Mag. NICOL. COLLIANDRO,
In Elghult & adjacent. Eccles. Pasto-
riac Præposito meritissimo, quavis
observantia venerando.

Admod. Reverendo atq; Praclarissimo Viro,
Mag. PETRO COLLIANDRO,
Alfedaënsium & Eccles. adjacentium
Pastori & Præposito vigilantissimo,
omni veneratione prosequendo.

Viro spectatissime fidei ac prudentia
Dno DANIELI STOCKE
Commissario Liquidationum, in Re-
gi. Gothorum Dicasterio, solertissi-
mo, Fautori, singulari observantia
venerando.

Hanc oblidum considerationem Vobis,
tue observantia & gratissime men-
am singularem, cum omnigena felicitatis

Abrahamus

Admod. Rever. atq; Praclarissimo Viro,
Mag. PETRO FLODÆRO,
Ecclesiæ, quæ in Skatelöf & adja-
centibus paroec. Deo colligitur, Pa-
stori & Præposito Gravissimo, pia
mente colendo.

Plurimum Rever. atq; Clarissimo Viro,
Mag. SAMUELI RUDA /
Pastori in Uhrshult & Nykyrcie lau-
datissimo, ut Fautori certissimo, ita
omni animi alacritate jugiter colendo.


Plurimum Reverendo & clarissimo Viro,
Mag. JONÆ VIRGANDRO,
In Myresjö & Landastiede Pastori
vigilantissimo, Fautori, perpetim
honorando.

Fautores & Benefactores, ceu perpe-
tis obidem, ob Favorem ac Benevolentia-
apprecatione, pie & officiose consecras

Krok.

Åhrebörne och Högwälachtade
Handelsmannen uti Åbo,
Herr CARL MAG. SIERCKEN,
Min Högtårade och bewägne Gynnare.

J En SED, de Pallas omkring sitta,
När deras ämnen liuset sedt,
Stedz brukt, at alment låta wetta
Sin' Gynnares bewägenhet /
Har påmint mig, som sinnad warit,
I år at framgie dese blad,
EHR stora gunst, den jag ehersarit
Uti EHRZ huus, at prisa glad.
I mågen säker derpå wara
Ur EDNA Barn, Ehr mycket käre,
Af andra stola sligt ehersara,
Efter den lag, som gammal är.
Jag wil nu endast hiertlia önska:
Sielf him'len låte EDERZ huus
Uti beständig wälgång örönsta,
Til des I lämnen jordens geuus.
Samt låt' EHR, när I här med hugnad
Ha'n lefwat uti tider lång,
Uptagas i en ewig lugnad,
Bland Anolastår och Helgon mång.
Åhrebörne och Högwälachtade Herr Han-
delsmannens, Min högtårade Gynnares
Tienst-skyldigste tienare.
Abrah. Krok.



§. I.

Quo sanctius religiosius-
que servarentur foedera
& pacta, diversas inter
civitates inita, vario
rituum genere, immo jure juran-
do olim muniebantur. Hæc ve-
ro cum nequitiæ humanæ non
sufficerent, alia illis accedere fir-
mamenta. Hinc civium quidam
summo genere nati, ut fidei co-
lendæ pignora, tradebantur, qui
obsides dicti fuerunt. De hisce
breviter agere animus est. Tuo
favori, mitiori que censuræ, B. L.
innocuos conatus commendatos
esse permitte.

§. II.

Licet ex allatis facile appareat, quid *obsidum* nomine intelligamus, ejus tamen definitionem dabimus hanc; quod sc. *Obsides* * *sint ejuscemodi persone, qua alterius paciscentium potestati traduntur, ut ab his pacti complementum postulari possit, si ipse non praestiterit, qui obsides dedit.* **

§. III.

Diversæ quidem in societatibus occurrunt contrahendi rationes, *obsidibus* firmari solitæ, *** quarum aliquot solum enumerabimus. Primum heic se offerunt diversa fœderum ejuscemodi genera. Feriuntur enim
hæc

° Variæ hujus vocis significationes videri possunt apud lexicographos.

°° Conf. Walch. Lexic. philos. voc. Geisfel.

°°° Conf. Pet. Georg. Tholozan. de Repub. Lib. II, Cap. II.

hæc cum populo, aut penitus
superato, aut se, cum omnibus
rebus, in sua potestate existi-
bus, alicujus fidei tradente. * In-
euntur etiam hac lege fœdera,
ut libertas quidem utriusque ci-
vitatatis salva maneat; alterutrius
tamen populi majestatis præcipua
habetur ratio. ** Nec non in-
veniuntur fœdera æqualia, quo-
rum vi *obsides* ultro citroque
dantur. ***

A 2

§. IV.

° Sic *Hispaniarum* civitates, in secun-
do bello punico, *Hannibali*, Char-
taginiensium imperatori, tradide-
runt *obsides*, qui unicum fuere
pignus, quod animos horum po-
pulorum ad societatem Romano-
rum inclinatos morabatur. vid.
Liv. Lib. 22. cap. 22.

°° Tale fuit *Ætolorum*, cum populo
rom. fœdus, quod *obsidibus* qua-
draginta firmatum est. Conf. Liv.
Lib. 38. cap. 11.

°°° *Historia* itidem rom. tale pro-

§. IV.

Accidit non raro, ut *Obsides* aliis etiam occasionibus adhibeantur. Interdum enim regnantium, de summa rerum, necessaria ducuntur colloquia. Horum vero incolumitate cum totius reipub. nitatur salus, hosti, adhuc non placato, vita illorum difficile committitur. Unde usus *obsidum* videtur heic esse conspicuus. * Cives summis fungentes honoribus in hostium aliquando veniunt potestatem. His in patriam reditus, datis *obsidibus*, inter-

ponit exemplum, apud eundem:
Lib. 42. cap. 5.

- * Hac ratione *Gustavus Erichsson de Wasa*, deinceps rex *Sveonum* creatus, una cum quibusdam aliis suæ gentis nobilibus, obses factus est *Christiano II*, Danorum regi, colloquium *Stenonis Sturei*, Sveciæ gubernatoris, sese expetere simulanti. conf. Ann. Svio-Goth.

interdum permittitur. * Neq;
inufitatum est *obsidem* pro *obsi-*
de fieri. ** Ab ipsis denique
civitatum rectoribus fœdera non
nunquam ineuntur personalia, ***
quæ firmiora reddere solet *Obsi-*
dum præsentia. ****

§. V.

O*bsidis* munus, cum non sit or-
dinarium aliquod in repub.
officium, a variis etiam civibus
sustineri consuevit. In *Obside* vero
præcipue spectatur generis nobi-
litas, familiæque spendor atque
dignitas non minus, quam affi-
ni-

* Vid. Grot. de jur. b. & p. Lib. 2.
cap. 20. §. 56.

** Conf. Grot. *ibid.* m.

*** vid. Budd. *Philos. pract.* part. 2.
cap. 4. Sect. 5. §. 10. item. Puffend.
de jur. nat. & gent. lib. 8. cap.
9. §. 6.

**** Tale fuit fœdus *Phrabatis*, Par-
thorum regis, cum Augusto, im-
peratore rom. initum, firmatum-
que *obside Phrabatis* filio, *Vonoo*

nitas late sparsa. * Potissima autem ratio habetur ejus, de cujus auctoritate pactiois sanctitas dependere putatur. ** Hinc regum & magnatum fratres, *** filii

ne. vid. Corn. Tacit. ann. Lib. 2. cap. 1.

- * Observatum fuit hoc ab omnibus omnium seculorum populis. Cujus rei causam notavit *Gentzenius* in polit. cap. 11. §. 33.
- ** Hoc etiam, in transactione, die 23 Julii, an. 1711, ad flumen *Pruth*, *Moldaviam* secans, facta, pro-cancellarium imperii Muscovitici, *Schapirosum* & Archiducis, *Czermetoffi* filium sibi obsides poscendo, observavit *Mahometes* quidam, tunc temporis vicarius imperii Turcici. vid. *Hermelin*. ab *Hægwald* continuat. in vita *Caroli XII*. Svec. reg. gloriosiss. tom. 9. cap. 5. §. 4.
- *** Hac ratione *Alexander Amyntæ* filius, *Macedonia* rex, primum Illyriorum, deinde Thebanorum gratiam pacis, per fratrem *Philippum*,

7

fili * atqve filiaë ** traditi sunt
obsides.

§. VI.

Matrimonia imperantium, quæ
pacem nonnunquam comi-
tantur, *** huic sponsionis ge-
neri non sunt annumeranda. In his
enim conjux quidem non tantum
conjugi; sed & civitati, quæ hujus
paret imperio, arctius obstrin-
gi-

obsidem datum reconciliavit. vid.
Curt. Lib. 1.

* Sic *Philippus, Macedonia* rex, filium
Demetrium obsidem dedit Romanis.
vid. Just. Lib. 32. cap. 2.

** Sic etiam *Clælia, P. Valerii*, Sena-
toris romani filia, una fuit ex ob-
sidibus, regi Hetruscorum, *Porse-
na* datis. conf. Valer. max. Lib. 3.
cap. 2.

*** Tale fuit conjugium *Ludovici XIV,*
Gallia regis, in tractatu pyrenæo
decretum, cum principe *Maria*
Teresia Caroli II, Hispania regis, so-
rorum natu majore. conf. Hübner,
in vita Lud. XIV. Gallia reg.

gitur: hæc tamen obligatio eo usque se non extendit, ut, discordia, inter patriam hujus matrimonii participis, regnumque conjugis, oborta, in matrimonii confortem gravius consulere ulla ratio permittat. Singularis autem ejusmodi nuptiarum finis est firmissimum quoddam amicitiae, tam publicæ, quam privatæ, vinculum; * quare ad ejusdem sanctimoniam stabiliendam eas referimus.

§. VII.

IN *obsidum* consideratione diversæ eorum species etiam observari merentur. Quidam enim sponte in se recipiunt sponsionem, & dicuntur *Obsides voluntarii*. *

* Hoc indicat conjugium *Magni*, *Norvegia* regis, cognomine *Barben*, in tractatu kongshällensi initum cum *Ingonis* junioris, *Sveciæ* regis, filia, *Margareta*, quæ inde etiam *Stridfulla* dicta est. vid. Christoph. Beer in vit. *Ingon*.

rii. * Alii iterum vi summi imperii, cui subunt, vel ipsis renuentibus, in firmamentum fidei traduntur, & vocantur *obsides invita*. **

§. VIII

SI certo alicui tempore *obsidatus* initium, primumque usum assignare aggredieremur, oleum & operam perderemus; *** ejus tamen antiquitatem investigantes, ad secula, ante salutarem virginis partum, longo intervallo præterlapsa, revolvimur. ****

§. IX.

-
- * Conf. Walch. Lex. philos. voc. Geisfel.
- ** Sic virgo illa romana, apud Valer. Max. invita regi *Porfenna* obses data fuit; quare statim, post traditionem, in fugam sese recepit.
- *** Hujus rei causa est primorum temporum historicorum defectus.
- **** Frequentem enim obsidum mentionem faciunt scriptores veteres græci atque romani.

§. IX.

DE jure in *Obsides* jam videamus. Existimant quidam, ubi civitas, a qua traditi sunt, fidem violaverit, justum esse, eos non solum gravissimis malis affligere, sed & vita privare. Ratio eorum hæc est, quia tum oritur status belli, atque *Obsides* hostes esse incipiunt. * Nec desunt exempla eorum, qui *obsides* morte multarint ** Verum hoc durius est. Nam jus belli in infinitum se non extendit. *** Exigit

* Conf. Puff. de jure Nat. & Gent. Lib. 3. cap. 2. §. 6.

** A Thessalis occisos esse ducentos quinquaginta *obsides*, ex Plutarch. de claris mulier. Observavit Grot. de jur b. & p. Lib. 3. cap. 4. §. 14. & a Romanis ad trecentos ibid. ex Tacit. ann. 12.

*** Hoc notum fuit *Camillo*, duci rom. qui Faliscorum pueros, dolo ad se perductos, capere noluit, dicens: *sunt & belli, sicut pacis ju-*

git enim universalis illa generis
 humani conjunctio, ut hostilitas
 in alios non exerceatur, quam
 qui damnum intulerunt, vel in
 eo sunt statu, ut nocere possint;
 * quare etiam gentes moratio-
 res pueris, ** feminis *** & de-
 crepitis senibus **** pepercerunt.

Præ-

ra. Liv. Lib. 5. cap. 27.

° Conf. Vander Meulen in Grot.
 Lib. 3. Cap. 4. §. 2.

°° Unde modo laudatus *Camillus* l.
 c. dixit: *arma habemus, non aver-*
sum eam aetatem (puerilem), *cui et-*
iam captis urbibus parcitur.

°°° Hinc *Alexander M.* agre tulit gra-
 tiarum actionem, sibi a *Dario* fa-
 ctam, ob clementiam mulieribus,
 ei necessariis præstitam, dicens:
bellum cum feminis gerere non soleo;
armatus sit oportet, quem odervim.
 Curt. Lib. 4. cap. 11

°°°° De senibus existat hoc effatum
Papinii:

- - *Nullis violabilis armis*
Turba senum.

Præterea neque alii actus hostiles liciti sunt, quam qui ad jus asserendū, & securitatem a læsione in futurum parandam faciunt. *Obsides* autem interfecisse ad hos fines consequendum parum, vel nihil confert. Palmarium est, quod nemo in vitam suam tantum juris habeat, ut illam pro factō alieno oppignorare possit; * unde neque imperantibus concessum est hoc subjectis injungere. Hinc sequitur, ubi quis, vel sponte, vel ex imperantis mandato, *Obses* est factus, eum ob perfidiam alienam, quam non participavit, neque morte, neque alia graviore calamitate esse adficiendum. **

§. X.

Justitiæ itaque ac humanitati convenientius est, ut in eo casu,

* Vid. Vander Meulen in Grot. Lib. 2. cap. 21. §. 11.

** Conf. Vander Meulen in Grot.

casu, quem diximus, *Obsider*, quo ad vitam, corpus & membra, sint inviolabiles; captivi autem retineantur. Hoc non magis iniquum æstimari debet, quam quod alii reipub. hostilis cives, si exoriente bello intra civitatemprehendantur, captivitatem subeant. Atque ubi captivi esse cœperunt, severius utique haberi possunt, quam quo tempore *obsidum* jure gaudebant. *

§. XI.

Quam vero parum hoc valeat ad coercendam perfidiam, quivis facile intelligit. Necessum igitur visum est, ut alia fidei firmamenta in *obsidum* locum reciperentur. Per omnia non tantum *Europa* regna, sed etiam ultra,

Lib. 3. cap. 2. §. 6. add. cap. 11. § 18.

* Hoc evenit memoratis Muscovitarum obsidibus. Hi enim, cum eorum imperator, *Petrus I Alexiowitzius* supradictæ transactioni satis-

tra, usitatum est securitati pacis cavere per *Mediatores*, * qui in se recipiunt sponfionem, **cujus vi tenentur ad opem ferendam parti, contra pactum læsæ. Hoc vero sponfionis genus ulterius explicandum aliis reliquimus, cum hæc sint pauca illa, quæ nostra proposita brevitatis Tecum, L. B. communicare permisit.

faciendæ se se subtraheret, multo severiori servabatur custodia, adeo ut in subterraneis locis tempus, contererent. Confer, præter Herm tom. & cap. cit. epist. manu script. L. L. Prof. Upsal. *Enmanno*, in *Asia*, tunc peregrinanti, ab amico quodam, e castris Adrianopolitanis miss.

* Vid. Puff. de jur. nat. & gent. Lib. 8. cap. 8. §. 6.

** Sic die 16, April. an. 1712, viginti quinque annorum pax, Turcas inter & Muscovitas, conciliata est, mediato-ribus Anglis atque Battavis. vid. Hermelin. in vit. Caroli XII, tom. 9. cap. 6. §. 3.